



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Resipiscentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

excogitavit, compegitque: qua posteaquam, ut ajunt, Apollinem & Musas honestavit, Amphionem A etiam, uti dictum superius, donavit. Cornua vero illa sublimipeta Caprea fuisse volunt, quibus Musici, antequam ligni usus ad hoc commodus haberetur, ad Lyras conficiendas uterentur. Ex lignis vero quæ Lyra apta censeantur, buxum maximè laudant, utpote quæ solida sit materia, & ad positionem aptissima. Potentiores huc ebenum adhibuerunt. Rhæti atque Norici aceram arborem egregiè crispam exhibuere: utpote quæ mirificè colorum varietate delectet, quæque fissa non fallat, neque excavata diffiliat. *Elephas*, ait Philostratus, *nihil ad Lyram*. quocirca sciti viri neque animal ipsum magni quicquam faciunt, neque cornibus ejus utuntur, quâquam nostri. *pevine pulsat ebore*, libentissimè dixerint. Videtur vero natura ipsa opera perquam diligentissimè dedita, testudinis testam, ut huic inserviret usui, fabricasse, ita illam excavavit, & vas veluti quoddam vocum repercussioni collectionique præparavit: vacua quædam foramina hinc inde fecit, in quæ umbilici inferi possent, atque alter alteri apprimi: chordæ enim ex una parte, quippe in imo, quadræ suæ applicantur, ex altera umbilicis obvolvuntur. Atque hæc in illis ratio potissima consideratur, ut rectè in Lyram ductæ æquis inter se distent intervallis, & parallelos binæ quæque efficiant: quæ quidem species in hodiernis adhuc quodammodo refertur, quamvis cornua non in vacuum, ut olim, sed in ipsum Lyrae corpus inflectantur. Atque hæc ea quidem species de qua Græci scriptores, & Romani Græcos secuti, inventionis laudem partim in Mercurium, partim in alios conferunt. Sed Hebræorum literæ Tubalem appellant, qui primus omnium & hujusmodi instrumenti, & Musicæ inventor fuit. Sedenim quam Lyram à Mercurio inventam tradunt, trium tantum chordarum fuisse dicunt: voces enim ab eo trium tantum instar temporum inventas ajunt, acutam quippe, gravem & mediam, prout tria tantum apud Ægyptios fuere tempora, æstas, hyems, & ver, singula quadrimestria. Sic ætati acutus sonus attributus, hiemi gravis, veri medius. Thebarum tamen portas ea ratione septem institutas Græci dicunt, ut totidem in Lyra tonos representarent. Et memorabile illud Emerepis Lacædemonii factum celebratur, qui cum Ephorus esset, cujus scilicet magistratus censura Græcia universa olim acquirerebat, Phrynidi Musico duas è novem chordas bipenni excidit, dicens, *Musice am ne depraves*: de quo nono Synopsiacæ apud Plutarchum. Adhæc ipsa hominis constitutio cum sit quatuor ex elementis, & anima, & quaternarius numerus multis de causis corpori competat, ternarius vero animæ de quo alibi copiosius: juncta hæc, & in concentum excitata omnem reddunt harmoniam, quæ tam ex operibus, quam ex cogitationibus nostris percipitur: ut non immerito humanam vitam tot septenarius variari paulo ante disputaverimus.

Testudinis testæ foramina. En. 1.6.

Mercurii Lyra.

Ab Amphione.

Quin. Enst. etiat Plus. in Apoph. zbegmatu. Chil. 4. cent. 3. Μη κα κέγει ην σικήν.

DE FISTULA. CAP. XIII.

Facit ad hoc & fistula, ut chordis Lyra septem, ipsa quoque septem compa& cicutis: cujus forma conspicua est passim in Panos & Satyrorum manibus.

RESIPISCENTIA. CAP. XIV.

Fistula musica.

Hominem Ægyptii diu quidem mente captum, postea vero quasi somno excitatum, ad intelligentius officia redeuntem, & vitæ suæ jam modum imponentem significare si vellent, fistulam, inquit Horus, pingere consueverunt: hujus enim munus, animum ab odiosis & gravibus atque etiam impuris cogitationibus avertere, & curarum oblivionem, ut diceret Hesiodus, inducere, & ut exemplo Pythagoræ comprobatur, impotentiores etiam lascivientis animi sedare motus dum composita soni suavitate animi arbitrio suo versat & moderatur. Facit hoc ad illud Antiphanis, sive, ut alibi Bionis, qui Bucolica scripsit, *αὐτὸς πηχάσθ' σέργα, πέλει δὲ τῆ ἐυμαρῆς ἔργον. Ἴν' ἰβὶ ψάλλῃ* *lam ames cetera conjungere, quando non labor aut opus hoc magnum.*

ADULATIO. CAP. XV.

Eadem vero, ut alibi dictum, cum Cervo picta perniciosam indicat adulationem, ob historiam scilicet quæ super ea & Cervo fertur, animal id ejus suavitate modulisque mulceri, & ad stuporem usque delectari: unde accidat, ut dum Cervus intentior in eam incumbit, incauto illi ab alieno quoque mors inferatur.